

SHERBORNE SCHOOL.

ENTRANCE SCHOLARSHIP EXAMINATION, 1959.

Latin Translation.

(2 hours).

Translate into good English :

- (a) *A dictator raises the siege of a consul's camp by surrounding the Aequi in their turn with a palisade.*

dictator edicit ut quicumque aetatis militaris essent armati cum vallis duodenis ante solis occasum Martio in campo adessent. impigre omnes ad edictum dictatoris adfuerunt, legiones dictator ducit. media nocte ut senserunt se iam prope hostes esse, signa constituunt. ibi dictator exercitum omnem longo agmine circumdat hostium castris, et ubi signum datum sit clamorem omnes tollere iubet; clamore sublato ante se quemque ducere fossam et iacere vallum. superat clamor castra hostium et in castra consulis venit. consul arma suos capere et se subsequi iubet. nocte initum proelium est. iam Aequi se ad prohibenda circumdari opera parabant cum ab interiore hoste coepto proelio, ne per media sua castra fieret eruptio, a munientibus ad pugnantes introrsum versi vacuum noctem operi dederunt, pugnatumque cum consule ad lucem est. luce prima iam circumvallati ab dictatore erant. tum ancipiti malo urgente a proelio ad preces versi hinc dictatorem, hinc consulem oraverunt, ut inermes se inde abire sinerent.

vallus = a stake

superare here = to pass over

(b) *Doctor Eunomus gets a shock.*

languentem Caium moriturum dixerat esse

Eunomus. evasit fati ope, non medici.

paulo post Caium videt, aut vidisse putavit

pallentem, et multa mortis in effigie.

“quis tu?” “Caius,” ait. “vivisne?” hic abnuit. “at quid

nunc agis hic?” “missu Ditis” ait “venio,

ut, quia notitiam rerumque hominumque tenerem,

accirem medicos.” Eunomus obriguit.

tum Caius: “metuas nihil, Eunome. dico ego et omnes

nullum qui sapiat dicere te medicum.”

Dis, one of the names of the God of the dead.

accire = to summon